



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XII. De scrutinio in ordine faciendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

De potestate exercendi Pontificalia, qua competit Abbatibus, & aliis Prælati inferioribus.

Quod Abbates, & Prælati aliqui alii etiam regulares jus habeant utendi insignibus Pontificalibus, & actus Pontificales exercendi, vel etiam sine insignibus Pontificalibus actus aliquos Pontificales exercere possint, qualiter possunt Prælati ordinum mendicantium, vel usum habeant quorundam insignium Pontificalium ratione suæ di-

gnitatis, non autem omnium, prout Præpositi & Canonici aliqui Ecclesiarum Cathedralium usum Mitræ habent, non autem aliorum insignium, ex praxi patet, quæ fundatur, non quidem in jure communi, quod de his inferioribus Prælati nihil determinatè constituit, sed in variis privilegiis concessis, ex quibus etiam desumi debet, quos actus Pontificales hi Prælati regulares, vel inferiores Episcopis exercere possint. Consulant ergo sua privilegia, quorum hæc scire interest.

TITULUS XII.

DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO.

Scrutinium in hoc titulo aliud non dicitur, quam inquisitionem sive examen ordinandorum, faciendum ab eo, ad quem spectat hoc examen; quod communiter duplex est, unum quod ante ordinationem institui debet, in quo per Episcopum, vel alios ab eo deputatos, inquiritur, num idonei sint, qui ad ordines se offerunt, an nullo Canonico impedimento laborent, circa natales, circa libertatem, circa ætatem, circa mores, circa literas &c. Aliud est, quod fit in ipsa ordinatione, & in eo consistit, quod ordinarius interroget Archidiaconum præsentantem ordinandos, vel alium, per

quem juxta consuetudinem loci ordinandi præsentantur, num sciat dignos & habiles illos esse; hic verò respondeat, credere se, eos dignos esse (quia in his, in quibus certa & determinata notitia haberi non potest, admittitur testimonium de credulitate ex probabilibus indiciis prudenter præsumpta & existimata, vel ut *C. uni. h. r.* dicit, scire se ac testificari, eos esse dignos, quantum humana fragilitas nosse, seu scire sinit, ita ut dicere hoc possit, quamvis privatâ scientiâ sciat, eorum aliquem indignum esse, modò ut persona publica hoc non sciat, & probare possit.



TITV-